76 ~~74~~

Amplissimo Crusio
S. P. D. I. Boehmius.

Igitur iam dudum Te, magno cum desiderio, amici Lipsienses exspectant: ego in primis, qui in Te colendo amandoque, nemini ulli concedo. Mihi vero quum ea spes nunc quidem vana videretur; misi ad Te nuper particulam Libri Sing. Obseruationum ad Pastorium; neque dubito, quin recte acceperis. Iam fac, quaeso, proximis litteris Tuis, ne sententiam super hoc Opere nostro, diutius ignorem Tuam. Neque ad ea respondisti, quae de Saxonicis rebus, singulari aliqua schedula, Tecum communicaui. Praeterea Belius quoque Te maximopere rogat, me quidem interprete, velis colophonem imponere elegantissimae commendationi et Hartiani Operis, et Pelasiani. Neque deerit, qui ipsos libros commoda occasione ad me perferat. Vale, et imminentes ferias laetus atque iucundus age! Scripsi Lipsiae festinanter a. d. XIII. Decembr. MDCCLXII.